



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

M. Ant. Mvreti Variarvm Lectionvm Libri XV

Muret, Marc-Antoine

Antverpiæ, M. D. LXXXVI.

Cap. 3. Locus quidam Ciceronis in Verrem vindicatus à praua aliorum
correctione. Plinij alter declaratus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70864](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70864)

πᾶς. οἱ ἤ πολλοὶ Διόνυσον αὐτὸν, ἀπὸ τῶν κερραυνοβολίων ὀμιλοῦ-
 την ἢ πάθους προσηγόρευσαν. id est. Igitur vates quidem
 pronuntiarunt, plurimum ipsum sagittariis, & leui
 armatura esse valiturum. vulgus autem ei Dionysio
 nomen fecit, ab illis fulminum iactibus: quod ei simi-
 le quiddam, atque Dionysio, contigisset. Hanc postre-
 mam partem quidam, qui librum illum Plutarchi La-
 tinum facere studuit, ita reddidit. Quam ob causam
 vates plurimum sagittariorum manu, leuisque arma-
 turæ copiis præstiturum prædixerant. Quamquam
 non desunt, qui Bacchi nomen à morbo sideratis ac
 de caelo tactis familiare datum illi existiment. quæ in-
 terpretatio ita est absurda & aliena, ut valde miser,
 quid tum illi homini in mentem venerit.

*Locus quidam Ciceronis in Verrem vindicatus à praua
 aliorum correctione. Plinij altera declaratus.*

CAPVT III.

VTVNTVR interdum Latini scriptores Græcis
 quibusdam vocibus, easque Latinis tamen lit-
 teris notant: quod qui non animaduertunt, facile in
 errorem incidunt: præcipuè cum eæ voces eiusmodi
 sunt, ut etiam Romanæ videri queant. id quod acci-
 dit homini in primis erudito explicanti orationes Ci-
 ceronis in Verrem. Nam cum Cicero impurum il-
 lum hominem à state summa, quo tempore ceteri præ-
 tores obire prouinciam, & concurrere consueuerant,
 totum se ad nequitiam & ad libidinem contulisse di-
 ceret, & tabernacula carbæis intenta velis in littore
 collocari iussisse, vbi totos dies cum impudicis mulie-
 ribus perpotaret: haud ita multis interiectis verbis, ita
 postea locutus est: *Illo autem tempore iste, tametsi ea est
 homini*

hominis impudentia, quam nostis, ipse tamen, cum vir esset Syracusis, uxorem eius parum poterat animo soluto ac libero tot in acta dies secum habere. quorum verborum ille, quisquis est, sensum non videre se dixit: nisi pro, in acta, legatur, in lecto. neque intellexit, Ciceronem, quod antea Romano more lectus dixerat, id postea actam voce Græca, ut videlicet in Sicilia loquerentur, nominasse. notum est autem, Siculos eo quondam sermone vsos, qui è Græcis, Latinisque vocibus permistus esset. Actam verò solitos eos dicere pro littore, etiam Virgilius indicio est, qui illud ipsum littus eo nomine vocauit:

At procū in sola secreta Troades acta

Amissum Anchisen flebant.

Ita igitur actam vterque, ut Terentius, & Cicero ipse urbem Atheniensium, Actu. Sed & S. Ambrosius eadem voce vsus est libro quinto Hexamerôn: *Qua, inquit, non in acta, nec in litoribus, sed in Atlantici maris profundo feruntur videri.* Neque dissimili modo C. Plinius libro VII. Naturalis historiæ probata pro pecudibus dixit. eius verba sunt: *In eadem Africa familias quasdam effasimantium Isigonus & Nymphodorus tradunt: quarum laudatione intereant probata, arescant arbores, emoriatur infantes.* non enim quæ familiæ illæ probassent, ea interire affirmavit, sed ut dixi, τὰ αἰσχροῦ.

Horatii locus ex Euripide expressus.

CAPVT IIII.

QUOD Horatius libro primo Epistolarum per-eleganter scripsit, esse verba & voces quasdam, quibus animi morbos lenire ac mitigare fas esset, respexisse ipsum arbitror ad locum quendam Euripidis ex Hip-

Ant. Muret
Varia Lectiones
LIB
21